



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Institutiones Canonicae

Schnorrenberg, Anno

Coloniae, 1740

§. 3. De Judicio Delegato.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62040](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62040)

§. Tertius.

D E

De Judicio delegato.

Quæres primò. Quis est Judex delegatus?

1. Judex delegatus, seu, ut vulgò dicitur, Commissarius, est, qui non ex proprio munere & officio, sed ex commissione sive juris sive Judicis ordinari per jurisdictionem im- vel mediata in se derivatam à committente vice alterius judicat. Colligitur ex L. 1. ff. de officio ejus, cui mand. jurisdic.

Dicitur primò, Qui non ex proprio munere. Quibus Judex delegatus ab Ordinario ex proprio officio vel munere jurisdictionem exercente distinguitur. 2dò. Ex commissione vel juris. Quia sæpe ipsum jus Judicem delegat, qualiter Episcopi per Tridentinum constituuntur à jure delegati, quando tanquam Sedis Apostolicæ delegati contra privilegiatos & alios à jurisdictione ordinaria exemptos procedere jubentur. Ut confirmant exempla in cap. irrefragabili. 13. de offic. Ordinar. & Clement. un. de suppl. neglig. Prælat. 3tò. Vel Judicis ordinari. Ut excludatur arbiter, qui potestatem judicandi non à Judice ordinario, sed à partibus compromittentibus, lege ita approbante, accipit. 4tò. Per jurisdictionem me- vel immediatè. Ut comprehendatur subdelegatus, qui mediata à

Judice ordinario jurisdictionem habet, sicut. Derivatam: Adeoque distinctam à jurisdictione ordinaria; per quod Judex delegatus differt à Vicario Generali Episcopi, qui non diversam, sed eandem jurisdictionem cum jurisdictione committentis exercet Et demum. Judicatur. Quà excluditur executor, cui solum nudum ministerium, sive executio sine causæ cognitione committitur, & potius executor quàm Judex delegatus appellatur.

Quæres secundò. Quotuplex Judex delegatus?

1. primò. Alius universalis est, alius specialis. Universalis dicitur, cni causatum universitas committitur, nempe non pro una aut pluribus particularibus, sed pro omnibus saltem in aliquo genere, ut in causis decimarum, matrimonialium: quamvis ad certum tempus, locum, familiam &c. fiat restrictio. Judex specialis est, quando una ut causa matrimonii inter Cajam & Titium, vel plures causæ determinatæ cognoscendæ committuntur.

2dò. Alii ratione dignitatis, quam obtinent, delegati sunt, ut si fiat delegatio Episcopo vel Abbati certi loci, sine expressione nominis, vel personæ: alii

alii ratione suæ personæ & non dignitatis delegati sunt, quibus expresso nomine proprio personæ fit delegatio.

3^{to}. Alius delegatus à Principe supremo, vel spirituali vel politico: alius delegatus ab inferiori Magistratu.

4^{to}. Demum alius ad totam causam, alius ad partem causæ est delegatus: vel enim totum negotium uni vel pluribus committitur, idque vel simpliciter fiat: vel in solidum: si unum simpliciter fiat, tunc ille solus cognoscit, & judicat: *cap. si pro debilitate. 3. de offic. Judicis deleg.* Si pluribus simpliciter facta commissio, omnes simul ad cognitionem & judicium concurrere debent, & impediti, si subdelegandi habeant potestatem, vel ipsis condelegatis, vel aliis vices suas subdelegare debent: alioquin cæteri nihil agunt, & reus, si quid agere velit, impunè non parer. *cap. quamvis. 3. cap. causam matrimonii. 6. de officio delegati.* vel pluribus in solidum commissio data, sub hac clausula: quod, si omnes interesse nequiverint, reliqui nihilominus procedant; quo casu singuli in defectum aliorum vel non valentium, vel non volentium interesse, juxta *cap. prudentiam. §. adjicimus. 21. de offic. deleg.* procedere possunt; aut sub hac clausula: ut vel omnes simul judicent, aut duo, aut unus ex ipsis: quo casu singuli jurisdictionem habere intelliguntur, ita ut etiam unus solus, qui præoccupavit, exequi commissionem debeat, vel possit, eoque negotium inchoante cæteri se intromittere nequeunt, nisi ille infirmitate vel aliâ causâ impeditus sit, aut

ceptum negotium prosequi nolit. *cap. cum plures. 8. de offic. deleg. in 6.*

Quæres tertio. An Laicus in judicio ecclesiastico delegatus esse possit?

3^o. Causæ ecclesiasticæ & spirituales, ut decimarum, juris patronatûs &c. non Laicis, sed Clericis tantum delegari possunt; quia Laici negotia ecclesiastica tractare non debent. *cap. decernimus. 2. de judiciis.* & si in rebus spiritualibus in personam laicam compromitti non potest, *cap. contingit. 8. de arbitris.* multò minus causæ spirituales Laico delegari vel subdelegari poterunt; cum major Judicis delegati quam arbitri sit potestas. Imò juxta plures laico delegari nequit causa temporalis, quæ inter Clericos, vel laicum actorem & Clericum reum versatur: si enim Clerico non licet consentire in Judicem non suum, etiam accedente Episcopi sui consensu, nisi persona ecclesiastica fuerit, per textum in *cap. significasti. 18. de foro competentis.* etiam Episcopo in præjudicium Ordinis Clericalis non licet causam temporalem, quæ inter Clericos versatur, personæ laicæ delegare.

Quæres quarto. Quæ requiruntur conditiones, ut quis delegatus sit?

1^o. primò. Debet subesse jurisdictioni delegantis; quamvis enim delegatio non subdito facta mero jure subsistat, invitus tamen delegationem suscipere non cogitur, nisi subsit jurisdictioni delegantis. *cap. pastoralis. 11. de offic. Ordinar. cap. pastoralis. 28. de offic. deleg.*

2^{do}. Delegatio personis discretis & idoneis fieri debet. *cap. si pro debilitate. 3. de offic. delegat.*

3^oid. Delegatus Sedis Apostolicæ vel ejus Legatus nullus esse potest, nisi in Ecclesiastica dignitate vel personatu constitutus sit, aut Ecclesiæ Cathedralis, sive Regularis, sive Sæcularis, Canonicus. *Cap. Statutum. 11. de Rescript. in 6.* Idem est de subdelegato. Fit exceptio: in causis extrajudicialibus, quando mera executio absque causæ cognitione committitur, etiam aliæ personæ idoneæ Summi Pontificis delegati aut ejus Legati esse possunt; quia de jure antiquo delegatio ab his fieri poterat. *Cap. cum in veteri. 52. de Election.* Ergo ab eo non est recedendum in causis extrajudicialibus, cum correctio Juris antiqui in dubio non præsumatur. *Cap. cum expediat. 29. de Elect. in 6.*

Quæres quintò. Quis Judicem delegare potest?

R. Omnis Judex Ordinarius. *Cap. cum Episcopus. de offic. Ordinar. in 6.* Quia quid quis facere per se ipsum potest, potest etiam per alium, juxta *Regul. 68. de Reg. Juris in 6.* Sicut ergo per seipsum, ita quoque per delegatum judicare potest: totam tamen jurisdictionem suam in alium transferre nequit, si Judex inferior sit; hoc enim esset se se abdicare suo officio Ordinario, quod sine consensu superioris facere non potest.

Quæres sextò. Quando delegatus subdelegare potest?

R. 1^oid. Delegatus à Summo Pontifice, vel in temporalibus à supremo Principe superiorem non agnoscente subdelegare & vices suas alteri committe-

re potest. *Cap. si pro debilitate. 3. de offic. delegat. cap. cum causam. 62. de appellat.* Id enim ex speciali Privilegio ab ipso jure propter eminentiam supremæ potestatis in Principe, cujus vices delegatus repræsentat, concessum est. Fit exceptio: Nisi in delegatione Principis delegati industria electa fuisset; tunc enim ipse delegatus causas expedire debet, nec alteri vices suas, nisi partes consentiant, committere potest. *Cap. fin. de Offic. delegat. cap. is cui. 12. eod. in 6.* Quando autem Princeps specialiter industriam delegati elegerit, ex verbis, circumstantiis, gravitate causæ æstimandum est. Porro sicut Delegatus supremi Principis totam causam, ita etiam partem vel articulum aliquem causæ, ut citationem, alteri subdelegare potest.

2^oid. Delegatus ad universitatem causarum subdelegare potest; is enim velut Ordinarius censetur: ideoque unam vel plures causas in particulari licite subdelegat.

3^oid. Delegatus subdelegare potest, si id sibi ab Ordinario delegante concessum; is enim ipsius delegantis nomine commissam sibi jurisdictionem alteri committere potest. *Gloss. in cit. cap. is cui.* Quo casu subdelegatus jurisdictionem non à delegato, sed à primo delegante Ordinario accipit, ad quem etiam à subdelegato, & non ad delegatum appellandum est.

4^oid. Condelegatus in casu, quo pluribus delegatio facta est, vices suas vel alteri condelegato, vel aliis condelegatis committere potest. Patet ex *cap.*

quam-

quamvis. 6. de Offic. deleg. Fit exceptio : nisi causa pluribus sub hac clausula delegata esset : Si omnes interesse requirerint, reliqui nihilominus procedant ; quia tunc, si constet, quod aliqui non possint, vel interesse nolint, reliquis tota jurisdictio accrescit. *Cap. prudentiam. 21. de Offic. Judic. delegati.*

5^{to}. Quamvis generaliter delegatus ab Ordinario inferiori extra casus exceptos subdelegare nequeat ; *Cap. cum causam. 62. de appellat.* Nam mandataris plus juris non habet, quam ipsi sit concessum ; est autem ipsi solum concessa jurisdictio, non ut alteri eam committat ; alteri tamen articulum non jurisdictionalem, qualis est, qui sine cognitione judiciali nudum ministerium, vel executionem continet demandare potest. *Gloss. fin. in Clement. unic. de Officio deleg.* Et colligitur ex *cap. super questionem. 27. de Offic. delegat.* Quamvis ille, cui Ministerium nudum vel à delegato vel ab Ordinario Supremo committitur, illud alteri demandare non possit, nisi peculiariter à lege vel à Principe ejusmodi quoque subdelegatio concessa sit : quemadmodum in universum Legato Sedis Apostolicæ ob singularem ejus auctoritatem conceditur. *Cit. cap. super questionum. cap. fin. de Offic. delegat.*

Quæres septimò, Quæ causæ delegari possunt ?

R. Quæ à Jure non sunt specialiter reservata, nec specialem qualitatem & industriam personæ delegatæ respiciunt, delegari possunt ; tunc enim juxta vulgatam Regulam potest quis per

alium, quod per se ipsum facere potest. *Reg. 68. de Regul. Juris in 6.* Omnia delegari & mandari possunt, quæ jure ordinario Magistratûs, hoc est ex natura sui officii, & generali Magistratûs auctoritate alicui competunt : non verò ea, quæ aliquo speciali & extraordinario, ut Privilegio, sunt concessa, quia non in illis, benè tamen in his industria personæ electa censetur. Hinc de Jure Civili causæ meri imperii, hoc est, quæ criminalem cognitionem & coercionem concernunt, extra casum absentia aut gravis infirmitatis delegari nequeunt : cum ea quæ ad merum imperium pertinent, speciali Privilegio & lege sint concessa. *Per textum & Doctores in L. solent. 6. ff. de Officio Proconsul.*

Quæres octavò, Quæ Judicis delegati potestas ?

R. Potestas Judicis delegati à potestate delegantis, à qua derivatur, metiendâ est ; ita ut delegatus à Judice supremo Summo Pontifice in causa delegata suo proprio Episcopo Ordinario major sit, imò etiam proprium Ordinarium judicare possit, *Cap. sanè. 11. de Offic. Jud. deleg.* Nam ut ibi Alexand. III. inquit, Judex à nobis delegatus, vices nostras gerit, unde in causa illa superior & major est illis, quorum causam susceperit terminandam : ideòque si Episcopus vel alia persona, quæ non est de jurisdictione illius in causa, quam ei delegamus, rebellis aut contumax fuerit, secundùm qualitatem facti poterit vel interdicti vel suspensionis sententiâ à Judice delegato compelli.

Exercitium autem jurisdictionis delegatæ post præsentatum delegationis rescriptum sumit suum principium ; ut sumitur ex *cap. super eo. 12. in fine. de appellat.* Quod rescriptum delegatus in forma authentica exhibere debet , ut fides ipsi adhibeatur : alioquin illi parendum non est. *Cap. cum in jure. 31. de offic. deleg.* Factâ literarum præsentatione delegatus potest sequentia :

1^{mo}. Si in causa delegata delegato quis se se opponat, potest contra eum delegatus secundum qualitatem facti & personæ per sententiam suspensionis & interdicti procedere. *Cir. cap. sanè. 11. de offic. delegati.* Quod non tantum tenet respectu partium litigantium , sed etiam aliorum quorumcunque, qui jurisdictionem delegati , seu processum in causa impedire vel turbare volunt. *Cap. cum non. 1. de offic. deleg.*

2^{do}. Partes citare , contumaces punire , & excommunicare potest, juxta delicti qualitatem , licet id in literis commissoriis non sit expressum, *Cap. praterea. 5. cap. ex literis. 29. cap. tam literis. 33. de testib.* Cujus ratio est ; quamvis jurisdictione delegati stricti juris sit , nec ultra causas & personas in rescripto delegationis expressas sit extendenda : *Cap. cum olim. 32. de offic. deleg.* Attamen quando delegatus ea præstat , quæ ad causam expediendam necessario requiruntur , mandati fines non excedit. *Gloss. fin. in cir. cap. praterea.* Dum enim causa principalis committitur , etiam accessorium commissum censetur , & illa omnia , quæ ad causæ expeditionem necessaria sunt, *Cap.*

prudenciam. 21. de offic. delegat. cap. suspensionis. 39. eod. tit.

3^{to}. Judex delegatus cognoscere & judicare potest , an sua sit jurisdictio , an literæ delegationis validè sint datæ , &c. *Cap. ex parte. 13. de offic. delegat.*

4^{to}. Judex delegatus à Principe non solum cognoscendi & decidendi causam sibi commissam , sed etiam executionem alteri committendi , eosque qui executionem impediant , coercendi & puniendi potestatem habet. Constat ex *cap. significasti. 7. de offic. delegat.* Ordinario etiam executionem demandare potest , qui sententiam delegati exequi debet , etiam si eam injustam esse cognoscat. *Cap. Pastoralis. 28. de offic. delegat.*

5^{to}. Delegatus à supremo Principe ex autoritate superioris delegantis subdelegatum ad subdelegationem suscipiendam cogere potest. *Cir. cap. Pastoralis. 28.* Reservare quoque sibi potest , ut subdelegatus sine consilio delegantis , quod tamen tunc sequi non tenetur , sententiam ferre non possit. *Cap. si pro debilitate. 3. de offic. deleg.*

6^{to}. Si delegatus Summi Pontificis aliter sententiam suam exequi non possit , brachium sæculare invocare potest ; Episcopo enim vel Judici Ordinario brachium sæculare implorandi competit facultas. *Can. Administratores. 26. caus. 23. q. 5.* Ergo etiam delegato Papæ , qui quolibet Ordinario majorem in causa commissa potestatem habet , Attamen ad hoc extraordinarium medium brachii sæcularis deveniendum

non

non est, nisi in casu necessitatis, quo ordinarium remedium contumaces per censuras coercendi non sufficit. *Arg. cap. unic. de Stat. Monach. in 6.*

7^{mo}. Delegatus Papæ ad exequendam sententiam à se latam integrum annum habet; constat ex *cap. quarenti. 26. de Offic. delegat.*

8^{vo}. Demum si certa forma delegationis à delegante præscripta, vel certus modus procedendi ordinatus, ea rescripti forma diligenter observanda; alioquin processus totus & secuta sententia nulla est, si delegatus plus vel minus, quam sibi commissum, contra formam & tenorem mandati fecerit; cum delegatus, nisi quæ in delegatione commissa, nullam faciendi potestatem habeat. *Cap. cum dilecta. 22. de rescript. cap. cum olim. 32. cap. Venerabili. 37. de offic. deleg.* Ita tamen observanda hac mandati forma, ut non tam ad verba, quam ad intentionem mandantis reflexio fiat: ideoque rescriptam Principis delegantis intelligendum; ut alteri præjudicium non inferatur; quia Princeps juri alterius velle præjudicare non censetur, nisi id exprimat. *Cap. super eo. 15. de Offic. deleg.* Nec rationabiles & legitimas excusationes & exceptiones velle excludere præsumitur. *Cap. ex parte. 13. ibid.*

Quares non^o. An Judex delegatus recusari potest?

ꝛ. Tam Jure Canonico quam Civili delegatus suspectus recusari potest, si probabilis suspicio, vel causa recusandi fuerit. *Cap. suspitionis. 39. de Of-*

fic. delegati. In recusatione autem observanda sunt sequentia:

1^{mo}. Si delegatus Summi Pontificis velut suspectus recusetur, tunc ex consensu partium arbitri eligendi sunt, qui partibus ad probationes suas producendas terminum statuunt, ac de tota causa suspicionis cognoscant, potestate illis à jure concessa per *cit. cap. suspitionis.* Si arbitri de causa suspicionis judicare tarent, delegatus recusatus illis terminum præfigit, quo evoluta in causa principali procedit. *Cap. legitima. 2. de Appellat. in 6.* Forma, quæ arbitri in causa recusationis eligendi, & qualiter non probatâ causâ recusationis Judex recusatus in causa principali procedere possit, præscribitur in *Cap. cum speciali. 61. de Appellat.*

2^{do}. Si duobus causa sit delegata, cum clausulâ, ut si ambo non possint, alter in causa procedat, uno eorum recusato, causa ipsa suspicionis coram non recusato conjudice, ad quem vi prædictæ clausulæ ipsius causæ cognitio pertinet, probari, & ab eo expediri debet. *Cap. si contra 4. de Offic. deleg. in 6.* Subsistente recusationis causâ ille solus in negotio principali procedere potest; quia per legitimam recusationem consolidata est in altero, tota jurisdictio. *Cap. cum super. 23. de Offic. deleg.* Quod si tamen causa recusationis subsistat, & nihilominus alter non recusatus cum recusato in causa procedere velit, totus processus est nullus, ex communi axiomate: Si quis, quod potest, agere nolit, & quod

quod vult, agere non possit, actus non valet eo modo, quo potest valere; quia quod voluit, non potuit, & quod potuit, noluit. *Gloss. in cit. cap. cum super.*

3^{to}. Si recusetur delegatus Judex ab Episcopo, vel ipse Vicarius Episcopi, vel alius ab inferiore Principe delegatus, ipse Ordinarius delegans de causa reculationis cognoscit. *Cap. si contra. 4. de Offic. deleg. in 6.*

4^{to}. Si Judex à Principe delegatus antequam recusetur: causam alteri committat, in totum recusari non potest; secus, si postquam est recusatus, subdeleget, aut si alteri causam, sed non in totum commiserit. *Cap. Judex. 5. de Offic. deleg. in 6.* Ubi notanda est differentia inter Judicem Ordinarium suspectum, & delegatum suspectum, quod Ordinarius etiam probatus suspectus delegare possit. *Cap. si quis contra. 4. de foro competent.* Delegatus verò suspectus ante pronuntiationem in causa suspicionis de assensu partium delegare possit: at pronuntiatum suspectus nequidem partibus consentientibus subdelegare potest. *Cit. cap. Judex. 5. de Offic. deleg.*

5^{to}. Demum non solum ipsæ partes litigantes, sed etiam terrius interveniens Judicem delegatum ut suspectum recusare potest: quin & ipse locus recusari potest, si pars citata ad eum tutè accedere non potest. *Cap. cum R. Canonicus. 35. de Offic. delegat.* Si recusatio non admittatur, pars recusans appellare potest; quamvis de-

legato cum hac clausula: *Appellatione remota.* Commissio data sit. *Cap. ex parte. 47. de Appellat.* Si Judex Ordinarius, ut Episcopus, recusetur, arbitri quoque eliguntur. *Cap. cum speciali. 61. de Appellat.* Si Vicarius Episcopi recusetur, arbitri non eliguntur, sed Episcopus de causa suspicionis cognoscit; & ita quamvis à Vicario ad Episcopum non appelletur, in causa tamen suspicionis ad Episcopum fit recursus. *Cap. si contra. 4. de Offic. deleg. in 6.*

Quæres decimò. Quæ causæ sufficientes suspicionis ad recusandum Judicem delegatum?

3^o. Causæ Judicem delegatum recusandi sunt sequentes: 1^{ma}. Si Judex delegatus Adversarii Dominus sit, cum quo litigare debes. *Cap. causam qua. 17. cap. insinuante. 25. de Offic. delegat.* Nomine Domini quilibet superior vel Paterfamilias intelligitur; quia hic suos Domesticos specialiter diligere & defendere velle censetur. Quatuor enim judicium pervertere solent. *Can. quatuor. 78. caus. 11. q. 3. de quibus Gloss. in cit. cap. causam.* Hos Verus habet:

Quatuor ista: timor, odium, dilectio, census,

Sæpe solent hominum rectos pervertere sensus.

Fit exceptio: Nisi delegatus utriusque partis tam Actoris quam rei Superior esset: tunc enim recusari non potest; quia par causa affectionis excludit suspicionem fraudis. *Gloss. in Can.*

Canonici. 1. Verbor. parentes. caus. 3. quest. 5.

2da. Si unus litigantium post litem contestatam familiaris vel Domesticus Iudicis delegati factus sit. Cap. insinuante. 25. de Offic. deleg. Non nocet, si Advocatus partis adversæ Iudici familiaris sit.

3tia. Consanguineus literas delegationis impetrantis tanquam suspectus recusari potest; consanguineus enim propter sanguinis affectionem consanguineo magis affectus esse censetur.

4ta. Si impetrans literas delegationis in ista causa scilicet adversarii Advocatus fuit. Quia si fuit Advocatus, jam animum suum manifestavit, quo ad illam causam affectus est: ideoque recusari potest, licet causa commissa cum clausula: *Remotâ appellatio- ne. cap. postremo. 36. de Appellat.* Quia facilius Iudicis recusatio, quàm appellatio admittitur; cum ad recusandum iniquus Iudicis animus contra unam, vel ejus affectio erga aliam partem sufficiat: ad appellandum autem gravamen requiratur. Undè pulchrè *Gloss. in cap. si contra. 4. de Offic. delegat. in 6.* Recuso, et si non graver: tamen non appello, nisi graver: appello à Iudice, in quem consensu, quem tamen non recuso.

5ta. Canonicum in causa Canonici ejusdem Ecclesiæ quis recusare potest. *Cap. cum. 35. de Offic. delegat.* Propter præsumptionem singularis affectionis in confratrem; licet Canonicus in cau-

R. D. Schnorrenberg Instit. J. Can.

sa Canonici testis esse possit. Ratio disparitatis est; quia plures plerumque Iudices haberi possunt, quàm testes, & Iudex facilius injuriam inferre potest quàm testis; Iudex enim à nemine examinatur: testis autem à Iudice, an verum dicat, examinatur.

6ta. Recusari potest, qui litem vel controversiam cum parte judicialem habet. Nam ex litibus inimicitia oriri solent; unde is, qui cum aliquo in iudicio contendit, adversarius ipsius dicitur.

7ima. Recusari potest, qui signum benevolentia vel amicitia parti deneget, quod aliis ejusdem conditionis & Status exhibere solet: ex eo enim inimicitia præsumitur.

8va. Qui alicui minatus est, quod occasione oblatâ se vindicare velit, & nocumentum inferre, recusari potest: non enim tantum censetur inimicus, qui injuriam actu infert, sed etiam inferre conatur.

9na. Qui in alio iudicio ut privatus similem causam habet, vel habuit. *Cap. causam. 18. de Judiciis.* Nam quâ ratione, quod petit ut pars, putabit æquum, quod iudicat ut Iudex: cum conscientia in eodem facto diversa esse non possit.

10ma. Si unus est Iudex alterius, vel adversarius meus est Iudex nostri communis Iudicis in alia causa. Tunc enim timere habeo, juxta Hostiens. *In Summ. L. 1. de Recusat. Iudicis deleg.* ne dicatur: facias mihi bonam

Mmm par-

paropfidem, & ego faciam tibi.

11ma. Qui est conterraneus Adversarii, quando duo compatriotæ sunt in Patria extranea; quia juxta eundem Hostiensem compatriotæ ejusdem regionis existentes in Patria aliena ut Fratres se se diligunt. Has & similes causas comprehendit. *Gloss. in cap. cum super. 23. de Offic. Judic. deleg.* Sequentibus Versibus:

Subjæctus, Dominus, & commensalis, amicus,

Incola, Canonicus, ac attingens, inimicus,

Si causam similem delegatus tueatur,

Vel si Patronus fuit olim, tunc moveatur.

Quæres undecimò. An à Judice delegato appellari possit?

8. Judice delegato partem litigantem gravante, ab eo appellari potest; nisi datus sit cum clausula: *Appellatione remota.* Qualiter Princeps Supremus delegare potest. Et tunc omnis appellatio prohibetur, quæ à jure expressè indulta non est. *Cap. Pastoralis. 53. de Appellat. cap. inter ceteras. 9. de Sentent. & re judicata.* Si tamen Papa scienter appellationem interpositam admittat, jurisdictio delegati interim suspensa est quoad executionem, donec appellationis merita sint plenius discussa. *Cap. Pastoralis. 28. §. praterè de Offic. deleg.* Ad quem autem à delegato sit appellandum, indicatur sequentibus:

imo. Si delegatus sit à Judice Ordinario inferiore, semper à delegato ad delegantem, vel ejus in officio successorem appellandum est: sive causa in totum, sive quoad partem delegata sit. Ratio est; quia etsi Ordinarius totam causam deleget; non tamen totam à se jurisdictionem abdicare potest: cum illam stabiliter habeat.

2do. Si delegatus Papæ causam in totum nullâ factâ reservatione alteri subdelegavit, à subdelegato non ad subdelegantem, sed ad primum delegantem, videlicet Papam, fit appellatio. *Cap. super questionum. 27. §. prò. de Officio delegati.* Ratio est: quia delegatus non propriam, sed commissam jurisdictionem habet, quam in totum alteri committendo à se abdicat: ideòque quamvis delegans Ordinarius jurisdictionem delegatam semper revocare possit, ipse tamen delegatus Principis, qui jurisdictionem commissam alteri subdelegavit, absolute illam revocare nequit, postquam subdelegatus illâ uti cœpit; cum jam officio suo perfunctus sit.

3tio. Delegatus Papæ, si non totam causam, sed aliquam ejus partem alteri subdelegavit, vel si subdelegavit cum clausula: *Donec revocet;* tunc à subdelegato ad subdelegantem appellatur. *Cir. cap. super questionum. cap. cum te. 18. de Offic. deleg. cap. si delegatus. 7. eod. in 6.* Ratio est: quia tunc totam jurisdictionem per subdelegationem partialem à se abdicasse non censetur; quare non ad Papam, sed ad subdelegantem est appellandum, nisi

interea

interea excommunicationem incurris-
set, vel mortuus fuisset; tunc enim
ad Papam delegantem, ne causa nimi-
um proleteretur, appellatur. *Cap. si is
cui. 10. de Offic. deleg. in 6.*

4to. Si pars litigans appellet, eo
eo quod contra potestatem subdelegan-
tis excipiat, tunc ad Papam delegan-
tem, non autem ad subdelegantem
appellandum; alias enim ad subdele-
gantem jurisdictionem habere appel-
lando fateretur, quod tamen excipi-
endo negavit. *Cap. si à subdelegato. 14.
de Offic. deleg. in 6.*

5to. Si delegatus alteri articulum
non jurisdictionalem subdelegavit, à
tali mero executore non datur appel-
latio: attamen executor absque con-
sensu partium datus, ex legitima cau-
sa coram delegato probatà recusari po-
test, quæ recusatio si à delegato non
acceptetur, gravatus ad delegantem
appellat. Item si Executor limites suæ
commissionis excedat, ad delegatum,
& si hic appellationem acceptare recu-
set, ad delegantem appellatur. Si Ex-
ecutor nec recusetur, nec limites suæ
commissionis excedat, pars gravata
non ab Executore, qui quidquid fa-
cit, ex commissione facit, quam non
transgreditur, sed à subdelegante Ex-
ecutorem ad delegantem appellat. *Cit.
cap. super questionum.*

6to. Si unus ex duobus delegatis
cum clausula: *Appellatione remotâ.* Al-
teri Collegæ subdeleget, acceptans
subdelegationem appellatione remotâ
procedere non potest, nec causam alii

delegare: quamvis in commissione fa-
cta duobus contineatur expressum,
quod appellatione remotâ alter possit
procedere sine reliquo, si non possunt
ambo pariter interesse. Quia quod
potest solâ jurisdictione sibi à Principe
delegata, non potest cum jurisdic-
tione sibi à condelegato commissa. Un-
de si ab eo fuerit appellatum, ad pri-
mum duntaxat appellandum est dele-
gantem. *Cit. cap. super questionum. §.
si verò.* Ratio est: quia quando in
eadem persona jurisdic-
tio delegata cum
subdelegata concurrat, in effectu po-
tius jurisdic-
tio subdelegata quàm de-
legata esse censetur, ex illo Philoso-
phorum principio: Effectus sequitur
partem debiliorem. Econtrà si in di-
versis personis jurisdic-
tio delegata &
subdelegata concurrat, ut si causa
committitur tribus, quorum duo sub-
delegant, horum subdelegati cum uno
delegato sententiam ferunt, per quam
pars gravata non ad illos duos subde-
legantes, sed ad primum delegantem
Pontificem appellat: Jurisdic-
tio enim
dignior attendenda est, cum dignius
& potentius ad se minus dignum tra-
hat: est autem dignior delegata jurif-
dictio.

7to. Si appelletur ab arbitris, qui
secundum formam Juris eliguntur, ut
super causa suspicionis cognoscant, ad
prescriptum *Cap. suspicionis. 39. de Of-
fic. delegati. cap. si contra. 4. eod. in 6.*
Non ad delegatum, qui recusatur,
sed ad delegantem est appellandum.
Cap. ab arbitris. 11. de Offic. deleg. in 6.

M m m 2 Ratio

Ratio est : quia sicut Judex delegatus circa causam principalem , ita etiam circa punctum accessorium recusationis , in quo ab arbitris fit gravamen , suspectus est , & ideo appellatur.

Quæres duodecimò. Quomodo Judicis delegati cessat jurisdictio ?

1^o. Cessat jurisdictio Judicis delegati diversis , ac potissimum modis sequentibus :

1^{mo}. Revocatione delegantis , sive revocatio expressè , sive tacitè fiat. Per *l. iudicium. 58. ff. de Judiciis. cap. quamvis. 6. de Offic. delegat. in 6.* Tacitè fit revocatio , si delegans ad instantiam partis citet , vel alio modo in causa delegata procedat ; eo ipso enim ad se , si sit Ordinarius , eam retraxisse videtur.

2^{do}. Finitur jurisdictio delegati morte delegantis , si res adhuc integra , sive antequam delegatus jurisditione usus fuerit ; cum jurisdictio (ex quo ipsa usus non exitit) non censeatur in delegatum efficaciter transfivisse , ut dicitur in *cit. cap. quamvis. 6. de Offic. delegat. in 6.* Idem est , si delegatio proximè facta à persona , non autem si facta nomine dignitatis personæ : Ita si Papa nomine Sedis Apostolicæ committat , commissio per mortem Papæ non expirat ; tunc enim sicut dignitas non moritur , ita nec jurisdictio inde profecta expirat. *Arg. cap. si graciosè. 5. de Rescript. in 6.* Simili modo si res amplius integra non sit , sed delegatus jurisditionem ex-

ercere inceperit , per mortem delegantis jurisdictio delegata non cessat. *Cap. relatum. 19. & cap. gratum. 20. de Offic. delegat.* Delegatus autem jurisditionem incepisse censetur , postquam citationem legitimam partis vel rei decevit. *Cit. cap. gratum.* Citatio enim vel Decretum citationis est actus jurisditionis ad substantiam judicii pertinens ; ergo citando partes delegatus jurisditione utitur.

3^{ro}. Jurisdictio morte delegati finitur , si delegatio sit personalis , & expresso proprio nomine facta , sive res sit integra , sive non , ita ut si causa pluribus absolutè commissa , uno mortuo ceterorum officium expiret. *Cap. licet. 30. cap. uno delegatorum. 42. de Offic. delegat.* Si autem causa delegata non immediatè personæ , sed dignitati , mortuo delegato jurisdictio ad Successorem transit , sive res sit integra , sive non. *Cap. quoniam. 14. de Offic. delegat.* Officium enim & dignitas non moritur , ut vidimus supra ex *Cap. si graciosè. 5. de Rescript. in 6.*

4^{to}. Finitur jurisdictio delegata , si delegans re adhuc integrâ resignaverit , aut alio modo jurisditionem amiserit : nam non minus amissione officii jurisdictio in delegante cessat , quàm morte ejus naturali. Eodem modo si delegatio realis immediatè dignitati & non personæ facta , ut : data est commissio Decano certi Collegii , si Decanus dignitatem amittat , delegatio ad Successorem transit.

5^{to}. Fi-

5^{to}. Finitur jurisdictio delegati lapsu termini præfixi : nisi partium consensu terminus prorogatus fuerit. *Cap. de Causis. 4. cap. consuluit. 24. de Offic. delegat.* Incipit autem terminus à die præsentationis literarum delegato factæ, nisi terminus ad certum diem vel mensem decretus esset.

6^{to}. Finitur jurisdictio delegata per negligentiam vel non usum mandati delegationis intra annum, si interea aliud rescriptum ab Adversario impe-

tratur. *Cap. si autem. 9. cap. plerumque 23. de Rescript.*

7^{imo}. Demùm finitur jurisdictio delegatâ finitâ causâ, sive per transactionem, compositionem, pactum de non petendo, latam & in negotio executam sententiam, quia delegatus tunc semel est officio suo functus.

Cap. in literis. 9. de Offic. delegat.

* *
*

